

1.

Ego verò antiquum obtineo, vir Clarissime, et quocumque ^{me} terrarum fortuna deveserit, reclusis semel benevolentia Heinsiana foribus perti-
naciter adherere constitui. Fatebor ingenue, vix quidquam cavillo
saculi istius obtrudere presumpserim, quod præstantium virorum
non sustinuerit limam aut supercilium: de cæteris porro parum
solicitus, siquidem τοῖς ἑσθλοῖς ἀποκεῖν τοῖς σοφοῖς ἀπαεῖκεν
ἔστι. Aditus itaque literarium Tribunal, ordior ab ipso præside,
tam venerandi concessus, ~~et præcedenti eruditissimo iudicio~~ quo
Te nomine procul omni assentatione libens venor et merito. Atque
adeo eruditissimo iudicio tuo, quidquid est istud juveniliū in re
magna conatum, debitā cum animi submissione committo. Sic
forsan tener ausus est Catullus magno mittere passerem Maroni.
Vale vir summe, et stultam impudentiam nostram, quā tua
est humanitas, æqui bonique consule. Datum Hagæ... 7bris. 1619.

Tui observantissimis.

C. Hugenius.

Doctissimo Scriverio alterum
exemplar tradi meo nomine
summoque cupio: nisi agri-
laturum censes, ignoti hominis
ad ignotum subitaneam inter-
pellationem.

2.

Dan: Heinsio.
S.P.

Clarissime Domine.

(40)

Legi avidè proterus et relegi insignem illam Homiliam tuam,
quam communicare mecum dedignatus non es, quò nempe in
posterum animo dubitationem evelleres, æquid revera inter
Heinsii familiares censi presumerem. Non offerat in præconiū
laudum tuarum, quatum universus orbis Christianus eo tibi
nomine debendi reus est, neque expectare illud te a tam tenui
calamo, truncus sim si nesciam. Parum scilicet vel Solis interest
vel Luna, quid præclare de ipsis sentiamus Tomunculi, innumeris
parasangis infra positi. Quantum Christiano licet, non verebor
dicere, exoculari me non vulgarem in homine litterato pietatem
id est principem illam omnium virtutum, quam nescio quis
malus Dæmon ab eruditione sæculi huius infelicitè secrevit.
Quasi verò cum S. Scripturâ loqui, balbutire sit, aut Βαββαῖζεν. et
aliunde summi istius Boni cognitio haurienda sit, quam ubi
semet ipsam revelavit. cum certè (quam rectè olim ille)
edocuerit nos Deus, Deum seire neminem posse, nisi deo
docente. Non proteribo hic alteram Charjōdim, in quam
nuptera contentionum clades, cum ipsos ἄεθλοῦτες nostros

tunc

hinc precipue rudem plebeulam adegit. Ea est rerum sublimium
et supra omnis humani ingenii captum temere affectata scientia
controversa series, et si tui placet, summæ causarum causæ
suscepta investigatio; cuius rei ille maxime fructus fuit, ut
qui in celestibus Lynceos videri studebant, magis quotidie talia
sibi sese evaderent, quæ eis accidere solent, qui pertinaci in Solem
intuitu adeo oculorum aciem obtundunt, ut proorsus denique
in terrâ cæcutiant. Hinc Otium, Invidia, Rixæ, Arrogantia,
Luxus, et cætera Dei lege damnata vitia de venialium numero
haberi cepta, ut quorum facile labem superba pietas et Theologia
subtilior elueret. Equidem non improbo Ecclesiam restauratam
doctrinam; quin eam a noxia novitatis erroribus repurgatam
aliquando, serio gaudeo; et quantumvis alteram illam merito
improbatam captui humano, primo quidem intuitu, magis
accommodam non negarim, hanc tamen ut verbo Dei sine
controversia, undequaque congruam, toto animo libens am-
plector. Unicum illud tacitus mecum indignari soleo, sæpe
populo doctrinam exhibitam, peccari in applicatione, et quam
quisque de sui electione rationem inquit, adeo omnem
solicitudinem in irrevocabile Electoris decretum rejicere
ut ne mentio quidem de examine. quasi quis de radice
certior fieri possit et ubi fructus desideretur; cum ordine plane
contrario converso gradatim ad summum illud Predestinationis
divina culmen ascendere, facto nimirum a ipsâ fide principio
ea demum vera pietatis promovendæ ratio sit et usus. Quo
magis utilissimum illud Orationis Tuzæ institutum probo,
quatenus eodem receptæ doctrinæ servato fundamento, abun-
tentem suam scientiam populum simul eruditè piæ, et
piæ eruditum esse doces. Non damus itaque hic tibi, sed red-
dimus; quanto peris tamen huic malo, et ab initio contentio-
num nostrarum obviam ita expectaverim testari poterunt.
duo Poemata, eodem pene argumento olim a me effusa
quorum tibi copiam hæc occasione fieri operæ præstium
credidit Pater meus. qui de utroque, nescio quare non vul-
garem concepit opinionem, unde agnosces quam jucundè
coecutiat paternus erga liberos affectus. Autori sane ejusmodi
videntur, ut pudere jam nunc eorum nedum poenitere
incipiat. Sed non ferat longius, ne absolvam molestus esse qui-
dendum fui. Te valeat cupio Brit summe et me amare quod
facis. Datum Haga Comitû .5. Calend. Novembri 1619.
Tui observantissimus
C. Huygenius.